

INDEX

INITIALIS BULLARUM

HUIUS VOLUMINIS.

A d pastoralis .	pag. 30. 54.	Ex inuncto .	328. 330. 359. & 362.
Ad pastorale .	18. 264. 270.	Exponi Nobis .	16. 17. 21. 22. 28. 39. 47. 72. 74. 81.
Alias emanavit .	135.		82. 83. 92. 97. 140. 151. 152. 159. 216. 217. 223.
Alias emanarunt .	104. 243.		227. 234. 255. 269. 281. 301. 322. 331. & 350.
Alias felicias .	347.	Felici .	34.
Alias Nobis .	96.	Grata .	290.
Alias piæ memoriæ .	189.	Illius , qui charitas .	30. & 209.
Alias pro parte .	15. 77. 86. 90. 164. 173. 208.	Illius , qui visitat .	40.
	215. & 323.	In Congregatione .	84. & 110.
Alias propositis .	224.	Indulgentias .	280.
Animarum .	312.	In excelsa .	357.
Affidua cordis .	1.	In hoc primo .	184.
Augustissimæ .	197.	In ipsis .	348.
Circumspecta .	257.	Inunctæ .	214. & 329.
Circumspectionis .	6.	Inuncti .	252. & 267.
Commisæ .	133.	In sublimi .	100.
Commissi .	20. & 339.	In supereminenti .	288.
Constantis .	229. & 333.	In supremo .	14. 94. 199. 127. 266. & 315.
Controversiam .	43.	Iustis .	222.
Crediti .	307.	Laudabilia .	11.
Credite .	141. 194. 198. 203. 237. & 252.	Licet alias .	161.
Cum ad aures .	73.	Magnis causis .	29.
Cum alias .	53.	Militantis .	38. 108. & 203.
Cum a prima .	237.	Nos volentes .	165. & 175.
Cum Congregatio .	360.	Nuper emanarunt .	204.
Cum dilectus .	11.	Nuper Nos .	334.
Cum dilecti .	111. & 302.	Nuper pro parte .	12. 13. 47. 142. 182. 225. 226.
Cum felicias .	199. 241. & 358.		335. & 364.
Cum Nos .	129. 160. 298. 299. 305. 311. 321. 332. 335.	Olim .	172.
Cum noviter .	111.	Orthodoxæ .	44. 239. & 285.
Cum sicut .	40. 48. 79. 145. 207. 324. 326. 341. 361.	Pastoralis .	33. 46. 49. 93. 97. 97. 244. & 268.
Cupientes .	129.	Paterna .	132. 230. & 278.
Decet .	134.	Piis Christifidelium .	202.
Debitum .	186. 193. 200. & 254.	Placuit .	162.
De salute .	296.	Præclara .	79. 187. 248. 249. 251. 282. & 283.
Dilectos filios .	175.	Quæ inter .	20.
Dudum emanarunt .	364.	Quod jam pluries .	349.
Dudum felic. .	263. 276. & 303.	Redemptoris .	126. & 277.
Dudum pro parte .	150.	Regimini .	52.
Ecclesia Catholica .	113.	Religiosorum .	294.
Ecclesia .	300.	Romanus Pontifex .	86. 211. 212. 304. & 351.
Egregia .	83.	Sacrofancti .	23. 91. 99. 102. 136. 180. & 219.
Egregiis .	238.	Sanctæ Matris .	236.
Emanavit .	133.	Sedes Apostolica .	342.
Et si Nobis .	143.	Sincera .	208.
Exigit .	217.	Sollicitudo .	71. 76. 125. 146. & 344.
Eximia .	328.	Speculatores .	355.
Ex inuncti .	80. 89. 106. & 337.	Super universas .	37.



CONSTITUTIONES

ALEXANDRI VII.

ANNO DECIMO.

CDLXXI.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Attestatur Excellentissimum D. Principem Mariam Chisum Fratrem S.S. ac Capitaneum Generalem S. R. E. vere innocentem esse in omnibus illis , quæ die 20. Augusti 1662. contigerunt in Alma Urbe &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam .

Proœmium .



UM dilectus filius Nobilis Vir Marius Chisus Princeps Terræ Campaniæ noster secundum carnem Frater germanus , totiusque nostræ , & S.R.E. Militiæ tam equestris , quam pedestris Capitaneus , & Gubernator Generalis circa attemptatum die 20. Augusti 1662. in Alma Urbe nostra contra dilectum filium Nobilem Virum Ducem Crequium pro charissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Christianissimo apud Nos , & Sedem Apostolicam Oratorem a Militibus Corsis in eadem Urbe tunc existentibus commissum testatus fuerit , ut infra videlicet .

Io Mario Chigi atteso in fede di Cavaliere di non aver avuta parte alcuna nell' attentato commesso da' Soldati Corsi contro il Sig. Duca di Crequi Ambasciatore di Sua Maestà Cristianissima in Roma , e che averci creduto di fare un' azione detestabile , e contraria alla mia nascita , ed alla mia condizione , se vi avessi pur pensato , e perciò ho scritta , e sottoscritta la presente di mia propria mano . In Roma questo dì 18. Aprile 1664. Io Mario Chigi.

Attestatio Pæ
tificæ .

§. 1. Nos veritati testimonium perhibere , simulque conventis , & promissis pro parte nostra per tractatum concordie inter nostrum , & dicti Ludovici Regis Plenipotentiariorum die 12. Februarii proxime præteriti Pisis conclusum , & subinde tam a

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Nobis , quam ab eodem Ludovico Rege ratificatum satisfacere volentes , eundem Mariam Principem in omnibus illis , quæ dicta die 20. Augusti 1662. contigerunt omnino inscium , atque vere innocentem esse harum serie attestamus .

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 26. Aprilis 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 26.
Aprilis 1664.
An. X.

CDLXXII.

Abolutio amplissima ab omnibus excessibus , & delictis in Civitate Avenionensi , & Comitatu Venayssino commissis occasione , & prætextu casus die 20. Augusti in Urbe commissi .

Ex Regest. in
Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam .

ASsidua cordis nostri meditatio paternam charitatem nostram ad id præcipue convertit , & sollicitat , ut nostrorum , & Apostolicæ Sedis etiam in temporalibus subditorum quieti , securitati , & indemnitati , quantum Nobis ex alto conceditur , prospicere jugiter studeamus .

Exordium .

§. 1. Quoniam itaque in tractatu concordie nuper videlicet , die 12. Februarii proxime præteriti inter nostrum ex una , & charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi Plenipotentiariorum ex altera partibus Pisis concluso , & stabilito , ac subinde tam a Nobis , quam a dicto Ludovico Rege ratificato inter alia , nempe articulo 14. ipsius tractatus conventum , fuit , quod idem Ludovicus Rex immediate postquam dilectus filius noster Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo S.R.E. Presbyter Cardinalis Chisus nuncupatus noster secundum carnem , ex Fratre germano nepos , quem nostrum , & dictæ Sedis Apostolicæ Legatum ad dictum Ludovicum , jam deputavimus , in conspectum Regium venerit .

Tractus cõ-
cordie cum
Plenipot. Re-
gi Christianis-
simo .

A

Nos,

CON-

Sequitur ut in Rubrica.

§.2. Nos, & Sanctam Sedem Apostolicam in possessionem Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum cum omnibus illorum pertinentiis, & membris reponet, ac omnia acta, arrepta, & alia quaecumque a Curia Parlamenti Aquensis circa hoc negotium facta cassari, & annullari curabit, sublato omni impedimento ad hoc, ut eadem Sancta Sedes illis sicut prius frui possit; quodque Habitatores Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini praefatorum cujuscumque Status, qualitates, conditionis, & sexus existant, tam Ecclesiastici, quam Laici nobiles, & plebei, non excepta ulla persona, quae sit originaria ex dicta Civitate, vel Comitatu, aut illic domicilium contraxerit, vel ibidem bona Stabilia, vel Mobilia, Feuda, vel Allodialia possideat, non molestabuntur, requirentur, nec inquirentur sub quocumque praetextu de iis omnibus, quae secuta sunt in eadem Civitate, & Comitatu a die 20. Augusti 1662. usque ad dictum tempus, quo memoratus Ludovicus Rex Nos, & Sanctam Sedem praefatam in possessionem Civitatis, & Comitatus praefatorum reponet; Et ipsi Habitatores plena, pacifica, & tranquilla securitate gaudebunt vigore, & beneficio dicti Tractatus; Quodque Nos daturi simus bona fide, & absque ulla reservatione tacita, vel expressa omnes Ordines, Edicta, Declarationes, & assicurationes, quae praefatus Ludovicus Rex desideraverit, ad hoc ut dicti Cives Avenionenses, ac Incola totius Comitatus praefati directe, vel indirecte, virtualiter, vel expresse sub clausulis in principio dicti Articuli appositis comprehensi tam Avenionen., & aliarum Civitatum dicti Comitatus, quam Communitatum, Oppidorum, Castellorum, & aliorum locorum subalternorum illius non possint accipere ab Officialibus nostris ullam molestiam, poenam, & condemnationem sive judicalem, sive extrajudicalem nec in bonis, nec in personis, in odium ultionem, seu vindictam omnium illorum, quae in dictis Civitate Avenionen., & Comitatu facta, & secuta sunt in consequentiam casus die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti; ac deum, quod in executionem omnium conditionum supra narratarum Nos daturi simus supradictas expeditiones in meliori, & magis authentica forma, quam memoratus Ludovicus Rex necessaria existimaverit pro securitate, & indemnitate dictorum Habitatorum Avenionis, totiusque Comitatus, ut supra, & alias prout in dicto Tractatu, cujus tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, continetur.

Confirmat Pont. quicquid per suos Plenipotentiariorum est.

§.3. Hinc est, quod Nos, sicut praefatum Ludovicum Regem omnibus illis, quae ejus nomine, sicut praemittitur, promissa, & per eum ratificata fuerunt, Regia Fidei satisfactorum certo Nobis pollicemur, ita quoque conventa pro parte nostra sincere, Pontificaque Fide, ac omni animi prom-

ptitudine adimplere volentes, ac paternam nostram erga nostros, & Apostolicae Sedis Subditos charitatem, & benignitatem demonstrare cupientes, necnon omnium, & singulorum Civium, Habitatorum, Originariorum, & Incolarum Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, ac ibidem domiciliario- rum, & bona Stabilia, & Mobilia, Feuda, vel Allodialia illic quomodolibet possidentium, tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum utriusque Sexus nomina, cognomina, qualitates, aetatem, denominationes, nuncupationes, munera, officia, titulos, gradus, praerogativas, & dignitates tam Ecclesiasticas, Seculares, & Regulares, quam mundanas, bonorumque hujusmodi quantitates, naturas, situationes, vocabula, confines, ac veros etiam annuos valores, omniumque singulorum, quae in eisdem Civitate Avenionen., & Comitatu Venayssino, ac illorum respective suburbiis, dependentiis, Oppidis, Castellis, Terris, Civitatibus, & Locis quibuscumque in consequentiam casus praefati die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti abinde citra quovis modo, etiam contra nostram, & d. Sedis Majestatem, & Supremam Potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem ecclesiasticam, & temporalem, debitamque Nobis, & eidem Sedi obedientiam, subjectionem, observantiam, & reverentiam, ac in spre- tum, vilipendium, damnum, injuriam, & contumeliam Vice-Legati, Gubernatorum, Locumtenentium, Auditorum, Judicum, Apparitorum, Militum, Officiorum, aliorumve quorumlibet nostrorum, & dictae Sedis Ministrorum acta, facta, gesta, & attentata fuerunt haecenus, quaeque in futurum usque ad restitutionem naturalis possessionis Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, Nobis, & dictae Sedi Apostolicae a memorato Ludovico Rege, ut praefertur faciendam quomodolibet agi, fieri, geri, vel attentari contigerit, seriem, qualitates, causas, occasiones, & circumstantias quascumque, etiam factum ipsum quomodocumque, & qualitercumque, ac quantumcumque aggravantes, mutantes, & alterantes, ac etiam laesa Majestatis etiam in primo capite, seditionis, rebellionis, conspirationis, vis publicae, & armatae, alia- ve quaecumque crimina, & delicta quantumlibet atrocia, & enormia, ac gravissima, & enormissima importantes, seu inducentes, & alia quaecumque, etiam specialem, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, etiam si talia sint, ut nisi nominatim, & sigillatim enumerentur sub quacumque generali, & generalissima expressione etiam in favorabilibus non veniant, nec comprehensa censentur, praesentibus pro plenissime, & sufficientissime, ac sigillatim, & nominatim, accuratissimeque, & nihil penitus omisso expressis, annotatis, specificatis, & enumeratis habentes, & semper haberi debere decernentes.

Motu

Et absolutio- nem ab o- nibus delictis ac occasione pa- tratis conce- dit.

§.4. Motu proprio, ac ex certa scientia nostra, & matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque apostolica potestatis plenitudine omnes, & singulos Cives, Habitatores, originarios, domiciliarios, & Incolas Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, ac bona stabilia, mobilia, feudalia, & allodialia in eis quomodolibet possidentes tam Ecclesiasticos, Seculares, & Regulares, quam Laicos cujuscumque status, sexus, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, militiae, dignitatis tam Ecclesiasticae, etiam Archiepiscopalis, & Episcopalis, quam temporalis, seu mundanae, praerogativae, praerogativae, & conditionis existant, necnon Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini hujusmodi, illorumque respective Suburbiorum, Oppidorum, Terrarum, Civitatum, Locorum, pertinentiarum, & dependentiarum quarumcumque Communitates, Universitates, & Homines, Confules, Priores, Rectores, Viguerios, Gubernatores, Vicarios, Apparitores, Barisellos, Satellites, Notarios, Scribas, Actuarios, Grapharios, Tabelliones, aliosve quoslibet Officiales, & Ministros quomodocumque nuncupatos, ac Marchiones, Comites, Barones, Magnates, Optimates, Illustres, Nobiles, Domicellos, Patritios, & quovis titulo, & praerogativa insignitos, qui in consequentiam, seu occasione, obtentu, vel praetextu casus supradicti die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti abinde citra usque ad presentem diem quomodocumque, & qualitercumque, & quantumcumque vicibus etiam adversus nostram, & dictae Sedis Apostolicae Majestatem, dignitatem, Supremum Dominium, potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem ecclesiasticam, & temporalem, debitamque, ac etiam juratam Nobis, & eidem Sedi fidelitatem, obedientiam, subjectionem homagium, fidem observantiam, & reverentiam, necnon in spre- tum, contemptum, vilipendium, damnum, injuriam, & contumeliam Vice-Legati, Gubernatorum, Magistratum, aliorumque Officiorum, & Ministrorum nostrorum praefatorum, seu alicujus eorum, sive pro subvertendo, turbando, mutando, vel alterando antiquo regimine, & gubernio Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini, aliarumque Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum praedictorum aliquid etiam gravissimum, & atrocissimum fecerunt, egerunt, gesserunt, commiserunt, perpetrarunt, dixerunt, machinati sunt, & attentarunt, seu fieri, agi, geri, committi, perpetrari, dici, machinari, & attentari curarunt, vel permiserunt, aut aliis similia facientibus, machinantibus, & attentantibus auxilium, consilium, favorem, auctoritatem, opem, subsidium, vel adminiculum publice, vel occulte, directe, vel indirecte tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet praestiterunt, vel illis obtemperarunt, & obsecuti

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

sunt, a praemissis omnibus, & singulis delictis, reatibus, & criminibus, etiam laesa Majestatis in quocumque capite etiam primo, rebellionis, seditionis, conspirationis, ac vis publicae, & armatae, & injuriae Principi, Magistratibus, Jurisdictioni, & personis publicis in nostra, & dictae Sedis tutela, & salvaguardia existentibus quomodolibet illatae, aliisque quibuslibet excessibus quantumcumque gravibus, atrocibus, & enormibus, ac gravissimis, atrocissimis, & enormissimis, ex praemissis, seu eorum aliquo qualitercumque, & quomodocumque resultantibus, & consurgentibus, atque inde resulare, & consurgere pretendi, censerit, vel intelligi, seu induci quovis modo possent, etiam quantumlibet continuatis, & iteratis, necnon excommunicationis latae sententiae, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, & censuris, ac etiam capitis, & ultimi supplicii, laesaeque Majestatis, rebellionis, & aliorum criminum, & delictorum hujusmodi, ac amissionis privilegiorum, gratiarum, & indultorum a dicta Sede Apostolica concessorum, privationis, confiscationis, publicationis, caducitatis, & devolutionis quorumcumque Titulorum, Honorum, Insignium, Dignitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, Munerum, Officiorum, Castro- rum, Terrarum, Villarum, Casalium, Pradiorum, Possessionum, Domorum, Palatiorum, Censuum, locorum Montium, Societatum, Officiorum, Fidecommisforum, Substitutionum, Primogeniturarum, Majoricatum, fructuum, emolumentorum, creditorum, rerum, jurium, & actionum, aliorumque bonorum tam mobilium, quam immobilium, dominiorum, feudorum, etiam Ecclesiasticorum, & jurisdictionalium, merumque, & mixtum Imperium, gladii potestatem, Vassallagia, & alia regalia habentium, ac allodialium, & emphyteuticorum cujuscumque quantitatis, & qualitates existentium, tam de praesenti, quam in futurum quomodolibet, & qualitercumque, & ex quavis causa competentium, aliisque tam corporis afflictivis, quam honorum restrictivis, ceterisque tam spiritualibus, quam temporalibus poenis a jure, vel ab homine, ac etiam per quascumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, & nostras Constitutiones, ordinationes, & sanctiones, necnon leges publicas, Edicta, Bannimenta, & Decreta quaelibet etiam Cameralia, & Consistorialia etiam contra perjuros, fidelitatisque debita, & juratae Violatores, & alias quomodolibet inflictis, & impositis, quas propter omnia, & singula praemissa, illorumque, seu alicujus eorum causa, & occasione quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, censerit, pretendi, intelligi, vel allegari possent, quasque pati, & luere deberent, etiam si majores supra expressis, & quantumcumque graves forent, specialemque, & individuum notam, & expressionem requirerent, ac etiam si ipsi, vel eorum aliqui alias similia, vel dissimilia,

A 2

millia, etiam gravissima, & supradictis graviora crimina, delicta, & excessus commiserint, & desuper absolutionem, & gratiam semel, iterum, & pluries etiam a Nobis, & dicta Sede obtinuerint tenore presentium in utroque foro plenissime absolvimus, penitusque, ac omnino, & totaliter liberamus.

Necnon ab incurso censuram.

§.5. Quinimo illos omnes, & singulos ab incurso censuram, & poenarum hujusmodi ex causa, & ratione continuationis, & iterationis, novaeque commissionis, & perpetrationis similium, vel dissimilium excessuum, criminum, & delictorum, quae per eos, seu eorum aliquem usque ad diem, quo memoratus Ludovicus Rex nos & Sanctam Sedem Apostolicam praefatam in possessionem Civitatis Avenionem, & Comitatus Venayssini nostrorum praefatorum sicut praemittitur, reponet, communit, vel divisim, & alias quovis modo, & qualitercumque continuari, illisq; nullatenus obnoxios, atque ex nunc, prout ex tunc, & e contra respective absolutos, & plenissime liberatos esse, & fore decernimus, & declaramus, omnesque, & singulas culpas, reatus, excessus, delicta, crimina, circumstantias, & poenas hujusmodi illis, & eorum cuilibet gratiose remittimus, & condonamus.

Et in pristino statu delinquentes reponit.

§.6. Ac illos omnes, & singulos ad primam famam, statum, honores, titulos gradus, dignitates etiam Ecclesiasticas, Monasteria etiam consistorialia, Beneficia, privilegia, gratias, & Indulta Apostolica, praerogativas, praerogantias, Castra, Terras, Villas, Casalia, Praedia, Possessiones, Domos, Palatia, Census, Loca Montium, Societates officiorum, mobilia, immobilia, feuda allodialia, & alia bona quaecumque etiam jurisdictionalia, ac emphyteutica, & Ecclesiastica, necnon jurisdictiones, dominia, Vassallos, & alia regalia, jura, officia, etiam Ecclesiastica, munera, credita, res, & actiones, fideicommissa tam purificata, quam purificanda, substitutiones, donationes, primogenituras, majoratus, proprietates, fructus tam haecenus, seu medio tempore decursos, quam decursuros, & quaecumque alia ad ipsos, & eorum quemlibet spectantia eisq; & eorum cuilibet undecumque, & quomodocumque competentia, & debita ad hoc, ut ipsi omnes, & singuli praemissa omnia, & singula, ut prius habere, possidere, retinere, administrare, & de illis disponere, illorumque fructus, jura, obventiones, & emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, necnon privilegii, indultis, praerogativis, praerogantias, facultatibus, concessionibus, & aliis gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus sibi rescriptis, quomodolibet concessis, & competentibus uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, ac denique in pri-

stinum, & eum in quo ante dictam diem 20. Augusti 1662. quomodolibet erant; sique omnia, & singula subinde sequuta nullatenus contigissent quovis modo reperirentur statum in omnibus, & per omnia, ac quoad omnia perinde ac si de praemissis nunquam cogitasset restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos, & plenarie reintegratos esse volumus, pariterque decernimus, & declaramus: necnon omnem, & quaecumque, & qualemcumque inhabilitatis, & infamiae tam juris, quam facti, ac irregularitatis, & aliam quamlibet maculam, sive notam ex praemissis quomodolibet insurgentem, vel contractam ab ipsis omnibus, & singulis respective penitus, & omnino tollimus, abstergimus, & abolemus, ac per praemissa eorum omnium, vel singulorum statui, honori, fame, titulis, dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, officiis jurisdictionibus, dominiis, regalibus, feudis allodialibus, investituris, Majoratibus, primogenituris, fideicommissis, substitutionibus, rebus, fructibus, caeterisque bonis mobilibus, & stabilibus, privilegiis, gratiis, & indultis Apostolicis, ac iuribus, & aliis praefatis nullum omnino praedictum etiam minimum illatum, exortum, vel indultum, nec aliquid jus Fisco nostro, vel Camerae nostrae Apostolicae, seu cuicunque alteri in illis, vel ad illa acquisitum, aut in alios translatum fuisse, nec esse, nec unquam fore decernimus similiter, & declaramus.

§.7. Volentes, & statuentes praefatos omnes, & singulos nullo unquam tempore super praemissis, seu eorum aliquo, vel aliquibus, etiam hic minus plene, & sufficienter specificatis, & expressis, ac etiam penitus occultis, illorumque dependentibus, annexis, & connexis, ac inde sequentibus, & sequentibus quibuscumque, eorumque causa, occasione, & ratione quovis praetextu, & quaesito colore, aut ingenio capi, carcerari, inquiri, accusari, denunciari, quaerelari, arrestari, interrogari, vel examinari, aut alias in eorum personis, feudis, allodialibus bonis mobilibus, & stabilibus, privilegiis, gratiis, & indultis, iuribus, & rebus quibuslibet, aliisque supra expressis, civiliter, criminaliter, vel mixtim, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte, publice, vel occulte conjunctim, vel divisim perturbari, molestari, vexari, inquietari, aut impediri a quibusvis Judicibus, & personis quacumque auctoritate, & potestate fungentibus, & functionibus, etiam S.R.E. Cardinalibus, & sacro illorum Collegio posse, neque debere. Et nihilominus omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Barigellis, Capitaneis, caeterisque Justitiis Ministris presentibus, & futuris tam Urbis, & Civitatis Avenionem, ac Comitatus Venayssini praefatorum quam universi Status Ecclesiastici Nobis mediate vel immediate subiecti, etiam ejusdem S.R.E. Cardinalibus, eorumque Collegio, ac quibuscum-

Nec ullamquam compositionem de peccatis a delinquentibus inquiri jubet.

bulcumque aliis personis interesse quomodolibet habentibus, & habere praetendentibus, ne aliquid in personas, Feuda, allodialia, res, vel bona mobilia, & stabilia jura, aliaque supradicta omnium, & singulorum praefatorum, aut alias quidquam aliud in eorum, seu cujuslibet eorum praedictum contra tenorem praesentium facere, vel attentare quovis modo audeant, seu praesumant, districtius inhibemus, & praecipimus, ac illis omnibus, & singulis, necnon etiam Fisco nostro, ipsiusque Fisci Procuratori perpetuum desuper silentium harum serie imponimus, oisque occludimus.

Imo quoscumque processus occasione praemissorum irritat.

§.8. Ac quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina, & processus, aliaque acta, sive judicialia, sive extrajudicialia, si quae contra praefatos omnes, & singulos occasione, vel causa praemissorum, seu alicujus eorum, ac inde sequutorum, & sequutorum, seu dependentium quorumcumque per quoscumque que Legatos, Vice-Legatos, Praesidentes, Gubernatores, Auditores, Judices, & alios quoslibet nostros, & Sedis praefatae Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes ubicumque, & quomodocumque facta, formata, & fabricata fuerint, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pertinet, seu spectabit quovis modo in futurum, de libris, notis, & scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperitur, omni mora, & contradictione, seu tergiversatione remota, confestim cassari, deleri, & aboleri, & ex nunc pro cassatis, deletis, aboliis, annullatis, irritis, viribusque, & effectu vacuis penitus, & omnino haberi, & censeri volumus, & mandamus, illisque nullam prorsus fidem in judicio, vel extra illud ubicumque haberi perinde ac si nunquam emanassent, aut extitissent, omnesque, & singulos praefatos ad verificanda praemissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, qualitates, & circumstantias in judicio, vel extra illud exprimenda, vel revelanda nullatenus teneri, neque ad id nullo unquam tempore invitari cogi, vel compelli posse, solasque praesentes literas ad probationem, verificationem, & justificationem omnium, & singularum gratiarum praemissarum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri, ipsasque praesentes literas etiam ex eo, quod motu proprio emanaverint, nec Fisci nostri Procurator, & Camerae nostrae Apostolicae Commissarius Generalis, alique nostri, & dictae Sedis Officiales, & Ministri, caeterique desuper interesse habentes, seu habere praetendentes ad praemissa vocati, citati, & auditi fuerint, neque cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consentierint, seu quod non sic, sed aliter factum se habuerit, & praemissa cum eorum circumstantiis, & qualitatibus etiam quan-

tumcumque aggravantibus, tam personarum, quam rerum, temporum, & locorum aliove quovis respectu expressa, & specificata non sint, & ex quibusvis aliis causis quantumvis legitimis, & juridicis, ac ex quocumque praetextu, titulo, & capite, etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumlibet magno, substantiali formali, incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, & modificari, rescindi, annullari, ad terminos juris reduci, vel aduersus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concedi, aut ita concessio quempiam in judicio, vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque easdem praesentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque praefatam sub quibuslibet verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis quomodocumque faciendis comprehendere, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illae emanaverint, toties in pristinum, firmissimumque, & validissimum, eumque in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, eorumve quemlibet quomodocumque eligenda concessas intelligi, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter, & inconcussè observari, omnibusque, & singulis praefatis, ut supra in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

§.9. Necnon in eventum, quo super praemissis, aut eorum aliqua parte, ambiguitatem, controversiam, dubium, litem, vel contentionem judicialiter, vel extrajudicialiter oriri, vel moveri contigerit, semper ad omnium, & singularum praefatorum commodum, utilitatem, & favorem resolvi, decidi, decerni, & interpretari; Sicque, & non aliter in omnibus, & singulis praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam, causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ipsorumque Cardinalium Collegium, necnon Camerarium, seu Pro-Camerarium, Thesaurarium Generalem, Praesidentes, Clericos, & Commissarium Generalem, Vice-Legatos, Rectores, Gubernatores, aliove quoslibet Sedis, & Camerae praefatarum Officiales, & Ministros, quacumque praerogantia, auctoritate, & potestate praedictos suffultos, & fungentes, ac quomodocumque functuros, sublata eis, & eorum

Ab omnibus Judicibus secundum praesentium literarum tenorem iudicari mandatur.

Derogat con-
trarium.

eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid fecus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, pariter, & declaramus.

§. 10. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac fel. rec. Pii IV., & Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quibus cavetur huiusmodi gratias, seu absolutiones non valere nisi reis constitutis in carceribus, necnon ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualescumque interesse Camera Apostolica præfate quomodolibet concernentibus in eadem Camera intra certum inibi expressum tempus præsentandis, registrandis, seu insinuandis, itaut præsentem literam etiam si in ipsa Camera, vel in quovis alio Tribunali, aut loco nunquam præsententur, registrantur, aut insinuantur, nihilominus valeant, firmissimeque subsistant, ac omnibus, & singulis præfatis, quos concernunt plenissime, ac amplissime suffragari debeant, aliisque dicti Pii IV. & rec. mem. Julii III., Gregorii XIII., & Sixti V. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum, & præsertim ejusdem Sixti Prædecessoris, quæ incipiunt: *Hoc nostri Pontificatus &c.* sub dat. Kalendas Julii 1585., & *Dum pro commissi &c.* sub dat. 11. Kal. Martii 1588. respectively emanatis, necnon nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, præcipue illa de non tollendo jure quæsito, cæterisque quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus, & municipalibus, Edictis, Bannimentis, stabilimentis, ac Decretis etiam Cameralibus, & Consistorialibus, Cameraque, & Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini præfatorum, aliorumve quorumvis locorum, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, styli, usus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam Civitati Avenionen., Comitatu Venayssino, ac Fisco, & Camera præfatis, eorumque Officialibus, & Ministris, aliisque quibuslibet personis, & locis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos, & Sedem præfatam etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si

pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso infererentur, præsentibus pro expressis, ac sufficienter specificatis, & insertis, formisque in illis traditis pro servatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, ac latissime, & plenissime derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus autem, ut eorumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Aprilis 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Transumptum fides.

Dat. die 16. Aprilis 1664. An. X.

CDLXXIII.

Revocatio, & annullatio Mandatorum, & Præceptorum D. Cardinali Maidalchino factorum, ut extra Urbem habitaret, seu que in loco, seu locis determinatis contineret cum absolutione propter transgressionem mandatorum huiusmodi, suumque è Stato Ecclesiastico egressum, & restitutione ad quæcumque privilegia, cum decreto, quod ejus familiares, qui consilio, scriptura, vel opera casui die 20. Augusti 1662. in Urbe secuto, & ipsius D. Card. egressui præfate molestari non possint.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro Francisco Sanctæ Mariæ in Porticu S. R. E. Diacono Cardinali Maidalchino nuncupato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili nostre salutem, & Apostolicam benedictionem.

Circumspectionis tuæ erga Nos, & Sedem Apostolicam fides, & devotio, ac præcipue quo te in Domino prosequimur, charitatis affectus, Nos inducunt, ut quieti, securitati, & indemnitati tuæ, quantum Nobis ex alto conceditur, benigne consulamus.

Exordium.

§. 1. Cum itaque tibi alias iusto nostro semel, vel pluries mandatum, seu præceptum fuerit, ut e Romana Curia, & Alma Urbe nostra egredereris, teque in districtu Civitatis nostræ Viterbien., & Terræ Caprarolæ contineres: Et tu quidem debitam illico

Card. Mai. dalechinum egressum a Statu Pontificio, & in Galliam profectam.

illico

illico obedientiam mandatis nostris huiusmodi præsteris, verum occasione eorum, quæ subinde consecuta sunt, ad requisitionem charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi, jam inde a mense Januario 1663. licet mandata, seu præcepta præfata revocata non essent, nec licentiam ea super re a Nobis petisses, nihilominus temporali Status nostri Ecclesiastici Ditione egressus fueris, ac in Status dilecti filii nobilis viri Raynutii Parmæ, & Placentiæ Ducis, aliasque Italiæ Civitates te contuleris, & postea in Galliam transieris: Unde inferri posset, te mandata, seu præcepta nostra huiusmodi transgressum esse, ac in contraventionem diversarum Constitutionum Apostolicarum, & præsertim fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Cum juxta Saerorum Canonum dispositionem, &c.* Incurreris; tamen revera tuæ intentionis nunquam fuerit debitam Nobis, ac Constitutionibus Apostolicis præfatis obedientiam, & observantiam ullo modo violare.

§. 2. Cumque propterea memoratus Ludovicus Rex securitati tuæ provisum esse desideret, ac in Tractatu Concordiæ Pisis inter nostrum, & ejsdem Ludovico Rege ratificato, inter alia per specialem Articulum ipsius Tractatus conventum, & nomine nostro promissum fuerit; Nos rem gratam dicto Ludovico Regi faciendi ergo, tibi permittimus esse, ut de præfati ad Almam Urbem præfatam revertaris, ad hoc, ut ibidem in futurum omnibus prærogativis tuæ dignitatis frui, ac Functiones Cardinalitatis exercere valeas, teque non iri inquietatum, vel molestatum ex causa cujuscumque præjudicii, quod incurrisse, quia Statu Ecclesiastico egressus fuisti, quemadmodum tibi ab eodem Ludovico Regi significatum fuerat; ac nostras in simili forma Brevis literas tibi super his concessum iri pro majori tua securitate juxta desiderium præfati Ludovici Regis cum reintegratione in bonis tuis, in casum quo ratione dicti egressus è Statu Ecclesiastico damnum acceperis.

Ad Urbem redire, & soluti prærogativa frui postulat Rex Christianissimus.

A censuris in primis Cardinalium præd. absolvit Pontifex.

§. 3. Hinc est, quod Nos in executionem Tractatus huiusmodi, & juxta illius articulum supra expressum rem gratam memorato Ludovico Regi facere, simulque paternum nostrum in te affectum demonstrare, & clementia nostra erga te uti volentes, ad instantiam ipsius Ludovici Regis, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine te in primis ab interdictis, aliisque quibuslibet censuris, quibus quomodocumque innodatus esse posses, ad effectum præsentis gratiæ dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, omnia mandata, præcepta, seu iusta, sive judicialiter, sive extrajudicialiter quocumque tempore in scriptis, vel oratenus data, seu facta, &

per quamcumque personam mediate, vel immediate tibi significata, ut extra Urbem præfatam habitares, vel a quocumque loco non discederes, sive in loco, vel locis determinatis remaneres, tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, & revocata, cassata, irritata, & annullata, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua esse volumus in omnibus, & per omnia perinde acsi nunquam facta, data, tibi que significata, seu intimata fuissent, nec unquam emanassent, itaut nullo unquam tempore ex quacumque causa, prætextu, vel colore inquietari, vel molestari possis ratione cujusvis actus contraventionis, vel inobedientiæ ex causis supradictis.

§. 4. Et quia mentis nostræ est te ad habitationem dictæ Urbis, & consequenter ad exercitium functionum tuæ dignitatis, ac ad omnes, & quascumque prærogativas, privilegia, jura, & actiones, quæ tibi antequam mandata, præcepta, seu iusta præfata emanarent, competebant, plenarie, & integre restitutum, & reintegratum intelligi, nec ad cujuscumque instantiam tam pro tempore post emanata mandata, & præcepta, seu iusta huiusmodi lapsio, quam in futurum respectu eorum quæ consecuta sunt nullam unquam molestiam, ullumve damnum, seu præjudicium etiam minimum in ulla re, quæ personam, vel bona, seu utilitates tuas concernant pati posse, vel debere; idcirco ex eisdem causis gratificandi dicto Ludovico Regi, & articulum supra expressum dicti Tractatus concordie adimplendi, ac ut ostendamus quantum ad rem gratam eidem Ludovico Regi faciendum, teque in futurum paternam benevolentiam, ac omni affectus, & clementiæ significatione prosequendum propensi simus, ad instantiam ipsius Ludovici Regis, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, deque apostolica potestatis plenitudine paribus te nullum omnino præjudicium ex causa, seu ratione penarum in præfata Innocentii, aliisque quibuslibet Romanorum Pontificum Prædecessorum, pariter nostrorum Constitutionibus ejusdem, seu similis naturæ existentibus commemoratarum pati, vel recipere debere volumus, ordinamus, & declaramus: Et quatenus in poenas huiusmodi incurrisse, seu incurrisse quoquo modo, dici, prætendi, vel intelligi posses, te ab interdictis ingressus Ecclesiæ, aliisque quibuslibet censuris, & poenis ecclesiasticis, & temporalibus per præfatas Innocentii Prædecessoris, & alias Constitutiones Apostolicas quomodolibet impositis, & aliis etiam quantumlibet gravioribus, & majoribus, ac individua mentione, specialique nota dignis, ad quarum declarationem, & executionem a Nobis, vel Romanis Pontificibus Successoribus nostris contra te propter præmissa, quovis modo devenire posset, eorumdem tenore præsentium absolvimus, & totaliter liberamus, dictaque poenas tibi gratiose remitti.

Neque in poenas a Bullis Pontificum committas incipisse declarat.

mittimus, & condonamus, ac te ab eisdem poenis absolutum, nec illis ullatenus obnoxium esse, vel fore decernimus, & declaramus, in omnibus, & per omnia perinde ac si præfato Statu Ecclesiastico, sicut præmittitur egressus non fuisset, nec eisdem Innocentii, & aliorum Prædecessorum Constitutionibus ullo modo contravenisse reperiveris; omnemque inhabilitatis, seu inobedientiae, aliamve quamlibet maculam, sive notam ex præmissis quomodocumque confurgentem, seu quæ inde quomodolibet induci, vel inferri posset, abs te penitus, & omnino abstergimus, & abolemus.

Aliaque Cardinali p. adito concedit ut in Rubrica

§.5. Præterea te adversus præmissa, & quaecumque præjudicialia tibi inde quomodolibet enata ad omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, & indulta quaecumque etiam conferenda, & commendandi Beneficia Ecclesiastica, ac transferendi pensiones, seu fructus ecclesiasticos loco pensionum tibi auctoritate apostolica reservatas, & reservatos, necnon testandi, & disponendi de rebus, & bonis tuis, etiam paramentis, & ornamentis ecclesiasticis, ac Sacris Suppellectilibus Cappella tuae Cardinalitatis tibi per Sedem Apostolicam concessa, & quomodolibet competentia, seu quæ tibi antequam e præfato Statu Ecclesiastico, sicut præmittitur, egredereris, quovis modo competeant, eorumque omnium, & singulorum liberum usum, & fructum in integrum, & pristinum, ac eum, in quo priusquam e Statu Ecclesiastico hujusmodi, ut præfertur, egredereris quomodolibet eras statum restituiamus, reponimus, & plenarie reintegramus, illaque omnia, & singula tibi harum serie confirmamus. Ac quaecumque provisiones, collationes, nominationes, commendas, & dispositiones de beneficiis hujusmodi, necnon pensionum, & fructuum Ecclesiasticorum præfatorum translationes, ac bonorum ad Ecclesias, Prioratus, Monasteria, aliaque Beneficia Ecclesiastica quaecumque per te in titulum, commendam, vel administrationem, seu alias quomodolibet obtenta, & possessa spectantium, in emphyteusim perpetuam, vel ad tempus concessionem, & ejusmodi concessionum renovationes, si quas post præfatum tuum e Statu Ecclesiastico egressum quovis modo feceris, dummodo ceteroquin canonice factæ fuerint, validamus, & confirmamus, validasque, firmas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere decernimus pariter, & declaramus.

Et de omnibus redditibus ecclesiasticis tam decursis, quam decurrendis sum.

§.6. Volentes te propter causas supradictas a perceptione fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum quorumcumque omnium, & singularum dignitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, Beneficiorum, officiorum, & munerum tuorum quorumlibet, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & temporalis, quam antehac habueris nullo modo sive in perpetuum sive ad

tempus cecidisse, idque non solum quoad perceptionem, & recuperationem omnium fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum hujusmodi, quæ durante tua a memorato Statu Ecclesiastico absentia, decurrerunt, sed etiam quoad integram actionem, & jus prosequendi perceptionem, & recuperationem eorumdem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum tam judicialiter, quam extrajudicialiter contra quamcumque personam, quæ sub quovis prætextu tenoris præfate Constitutionis Innocentii Prædecessoris, seu ex quocumque alio jure, vel concessione cujuslibet nature, ex causa tamen, & occasione contraventionis supradictorum mandatorum, præceptorum, & jurorum, ac egressus tui e Statu Ecclesiastico hujusmodi fundos, vel redditus, aut jura, quæ ad te prius spectabant, & nunc spectant sibi appropriare prætere varet, ad quam actionem, & jus te pariformiter harum serie restituiamus, & plenarie reintegramus. Ac in gratiam supradicti Ludovici Regis tibi, ut ad Almam Urbem præfatum reverti, omnibusque, & singulis tuae Cardinalitatis Dignitatis honoribus, & prærogativis uti, frui, potiri, & gaudere, necnon omnes Functiones Cardinalitatis, quemadmodum omnes, & singuli Ven. Fratres nostri S. R. E. Cardinales facere solent pariformiter exercere libere, et licite possis, et valeas præmittimus, concedimus, et indulgemus.

Familiares etiam Cardinalis prædicti pro reatibus tali occasione incursum molestari decernit.

§.7. Cæterum, ut benevolentiam erga te nostram uberiori significatione testatam faciamus, omnes, & singulos familiares tuos, qui consilio, scriptura, vel opera casui die 20. Augusti 1664. in Urbe prædicta sequuto, tuoque e Statu Ecclesiastico egressi, & seu illorum annexis, & connexis, dependentibus, vel inde sequentibus quibuscumque, quæ præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis haberi volumus, aliquid contribuerint, seu desuper quicquam sive magnum, sive parvum, principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet egerint, vel fecerint, seu contribuere, agere, vel facere poterint ea de causa, ratione, vel occasione sub quovis prætextu, colore, vel ingenio a quibusvis Judicibus, & personis quacumque auctoritate, & potestate fungentibus, & functuris, ac ejusdem S. R. E. Cardinalibus, & Sacro illorum Collegio in personis bonis, juribus, & rebus suis civiliter, criminaliter, vel mixtim, & alias quomodolibet directe, vel indirecte, publice, vel occulte molestari, perturbari, vexari, inquietari, vel impediri, seu capi, carcerari, arrestari, interrogari, examinari, aut inquiri, nullatenus posse, neque debere decernimus similiter, ac ordinamus, & declaramus.

§.8. Et nihilominus omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Barigellis, Capitaneis, cæterisque justitiæ Ministris præsentibus, & futuris

Poot. irritat processus omnes hie de causis factos

turis tam dicte Urbis, quam universi status Ecclesiastici Nobis mediate, vel immediate subjecti etiam S. R. E. Cardinalibus, eorumque Collegio, ac quibuscumque aliis personis interesse quomodolibet habentibus, & præsentibus, ne aliquid in personas, res, bona, vel jura tua, tuorumque familiarium præfatorum, seu alicujus eorum respective, aut quidquam aliud in tuum, eorumque, seu cujuslibet eorum præjudicium contra tenorem præsentium facere, vel attentare quocumque modo audeant seu præsumant, districtius inhibemus, & præcipimus, necnon illis omnibus, ac etiam Fisco nostro, ipsiusque Fiscus Procuratori perpetuum desuper silentium harum serie imponimus, ac quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina, & processus aliaque acta sive judicialia, sive extrajudicialia, si quæ contra Te, vel familiares tuos præfatos, aut eorum aliquem præmissorum, ac inde sequutorum, ac dependentium causa, vel occasione per quoscumque Legatos, Vicelegatos, Præsidentes, Gubernatores, eorumque Locatenentes, & alios quoslibet nostros, & Sedis Apostolicæ Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, ubicumque etiam in Urbe præfata, & quandocumque facta, formata, & fabricata fuerint cassamus pariter, & irritamus, ac annullamus, viribusque, & effectu vacuumus & ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pertinet, de libris, notis, & scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperitur, omni mora, & contradictione remota confestim cassari, deleri, & aboleri, ac ex nunc pro cassis, deletis, & abolitis, annullatis, irritis, viribusque, & effectu vacuis penitus, & omnino haberi, & censi volumus, & mandamus, illisque nullam prorsus fidem in Judicio, vel extra illud ubicumque haberi, perinde ac si nunquam extitissent, Teque, & familiares tuos præfatos ad verificanda præmissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, personas, qualitates, & circumstantias in Judicio, vel extra illud exprimenda, & revelanda nullatenus teneri neque ad id ullo unquam tempore invito cogi, vel compelli posse, solasque præsentibus ad probationem omnium, & singulorum præmissorum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri; easdem autem præsentibus literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod Fiscus nostri Procurator, & Camera nostre Apostolicæ Commissarius generalis, aliique nostri, & dicte Sedis Officiales, & Ministri, cæterique desuper interesse habentes, seu habere prætendentes ad præmissa vocati non fuerint, nec cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sit, sed aliter factum se habuerit, & præmissa cum eorum circumstantiis, & qualitatibus etiam quantumcumque aggravantibus tam personarum, quam rerum, & locorum, aliove quovis prætextu expressa, & specificata non sint, seu ex

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

quibusvis aliis causis quantumvis legitimis, & juridicis, ac ex quocumque prætextu, titulo, & capite, etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, vel quopiam alio quantumlibet magno, & substantiali defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, rescindi, annullari, ad terminos juris reduci, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio concedi, aut ita concessio quempiam in Judicio, vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Te, & familiares tuos præfatos, eorumve quemlibet quandocumque eligenda, concessas, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter observari, Tibique, & familiaribus tuis præfatis, ut supra in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, necnon in eventum, quo super præmissis, aut eorum aliqua parte ambiguitatem, controverfiam, dubium, litem, vel contentionem judicialiter, vel extrajudicialiter oriri, vel moveri contigerit, semper ad tui, & familiarium tuorum præfatorum commodum, utilitatem, & favorem resolvendi, decidi, & interpretari; sicque, & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ipsorumque Cardinalium Collegium, necnon Camerarium, seu Procamerarium, Thesaurarium generalem, Præsidentes, Clericos, & Commissarium, aliosve quoslibet dicte Sedis, & Camera Officiales, & Ministros quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Claufula sublata, & Decretorum irritans.

§.9. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac præfata Innocentii Prædecessoris necnon quatenus opus sit recem. Pii IV. et Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum disponen. hujusmodi gratias, seu absolutiones non valere nisi Reis constitutis in Carceribus, & ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualescumque interesse dicte Camera Apostolicæ concernentibus in eadem Camera intra certum tempus inibi

Contraria sol. lit.

B

expres.